

D F N

1604



00
1A
0020

+



DISPUTATIO BIBLICA XXIV. 1x
De præcipuis quæstionibus E
28. 29. 30 capit. Geneseos, ad priva-
tam συζήτησιν proposita

à

SALOMONE GESNERO, S. S.
THEOLOGICÆ DOCTORE ET PRO-
fessore publico, in Academia
Vitebergensi.

De qua

Die 27. Iunij Anno 1599. Deo auxiliante respondebit

M. THOMAS VVEGELINVS
Augustanus.



VVITEBERGAE,
Imprimebatur Typis Meißnerianis,
M. D. XCIX.

DISPUTATIO BIBLICA XXIV
De principis doctrinibus



REVERENDIS ET
CLARISSIMIS VIRIS DN. Æ-
GIDIO HVNNIO SS. Theol. D. & Professore Publico
& Ducatus Saxonici Superattendenti digniss. meritissimoq;
præceptori & inspectori suo reverenter
colendo.

ET

Dn. M. CASPARO SAVTERO
ECCLESIAE APVD AVGVSTANOS
AD D. ANNAM PASTORI ET PRESBYTERO.
Affini suo longè charissimo

Hanc Biblicam ~~etiam~~ Gratitude
& observantiæ ergò D. D.

M. Thomas VVegehinus Resp.



VITÆ
M. D. X. C. X.



E Capite XXVIII. Genes.

Thesis I.



Qvod reliquum est capitis vicesimi octavi quinque complectitur quaestiones non negligendas. Describitur enim hic ἱεροπολιτικὸν Iacobi è Berseba, ubi Isaac altare aedificaverat Gen. 26, in Haran Mesopotamiae. Et Hebraei ab hoc loco sextum libri Genesios τὰ μῦθ'α inchoant.

II.

Primo autem hic dicendum est de loco, ubi Iacob in itinere pernoctans Dominum per somnium vidit & audivit: deinde quale illud fuerit somnium: tertio quid de scala sentiendum: quarto quid de lapide, quem Iacobus capiti substravit: quinto denique quid de ipsius voto statuendum.

*Quaestio prima de loco, qui olim Luz
postea Bethel nuncupatus.*

III.

Ad locum principio quod attinet, sic eum Moses describit: Venit Iacob in quendam locum, ubi pernoctavit, quia occiderat Sol: & infra v. 19. dilucidius: vocavit Iacob nomen loci illius Bethel, liquidè Luz erat nomen civitatis illius ante: nec non v. 16 dixit Iacob, certe Dominus est in hoc loco: & ego nesciueram: postea expavescens, quam terribilis est, inquit, locus iste: non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta caeli.

IV.

Ad haec intelligenda, principio situs eius loci in tabulis chorographicis est aspiciendus. Ac in libro Ios. 18. 13. Bethel seu Luza tribui Benjamin assignatur, sita in finibus eius tribus, ea parte, qua illa terminos filiorum Iosephi, Ephraim & Manasse, attingit, ut habetur Ios. 16. 2. vicinæ eius vrbes sunt Jericho & Hai. Ios. 8. 9. & à Hierosolymis distat tribus miliaribus, in medietate Iudææ, ut ait Procopius.

*Luza seu Be-
thel ubi sita.*

V.

Bethel non est ierusalem.

Vana proinde est Lyrae opinio, qua existimat, locum istum esse montem Moria, in quo tanquam sacro ideo Iacobus pernoctare voluerit, quod patrem suum isthic victimam fieri debuisse recordatus sit. Inscitia quoque quod Hierosolyma nomina percensens, eam Bethel nuncupatam fuisse hisce versibus indicat: Solima, Luza, Bethel, Ierosolyma, Iebus, Helta, Vrbs sacra Hierusalem dicitur atque Salem.

VI.

Iacobus sub dio voluit cur agat.

Ac quod Iacobus non eam ob causam noctem hic agere voluerit, quod locum eum esse sacrum sciret, sequens eius oratio testatur, cum se nescivisse ait, Dominum isthic praesentem esse.

VII.

Nec etiam ideo sub dio cubare voluit, quod incolas oppidi vicini Luzae, ut impios, metueret, quod Iosephus censet, sed quod Sol occubisset, & nox illum longius progredi non sineret, ut habet Moses. Necessitatis proinde non studij & εὐδελου-
δησκειας deliberataeque voluntatis fuit ista mansio. Imo Hebraeus textus habet verbum *וַיִּפֹּא* quod fortuito occurrere & incidere in locum significat Eccles. 9. 11. quod etiam Onkelus observavit.

Luzae unde dicta.

VIII.

Secundo nomen loci antiquitus inditum consideretur. Dictam enim fuisse eam civitatem, in cuius suburbano agro Iacobus pernoctat, Luzam perhibet Moses. Ignari profecto Hebraeae scripturae fuerint necesse est, qui vocem *לְזָא* Vlām quae alijs utiq, alijs olim significat, pro urbis appellatione acceperunt, ut refert Hieronymus.

IX.

Luzae vero ab arborum genere isthic frequentiore dicta putatur. Licet de specie interpretes non consentiant. Luz quidem illam esse arborem, de qua Iacobus baculos adhibuit, cum iussu Dei, qui in Bethel ipsi apparuerat, ovium foetus coloratos mira arte efficeret, Gen. 30. 37. patet. Sed alijs est corylus, cuius nux, avellana, alijs, quod magis consentaneum iuxta Hieronymum, amygdalus.



X.

Tertiò illud observandum, quod Iacobus Luzæ nomen in Bethelis commutavit, quæ vox domum Dei significat, appellationis additâ ratione, quod isthic Dominus se tanquam in suo templo manifestaverit, cœliq; fores aperuerit. Sic enim ait: *Bethelis appellatio.*
Nihil est hic, nisi domus Dei, & hæc porta cœli est: Domum Dei, id est, locum templo consecrandum, portam autem cœli appellans, tum quod Deus isthic ex arcana sua luce seipsum manifesta visione protulerat, tum quod in Ecclesia ianua & iter ad cœlum monstratur, precibusq; fores cœlestis palatij referantur Matth. 3. Alcuinus quæst. 226. Augustin. quæst. 83.

XI.

In hoc tam sacro loco Ieroboam postea abusus proculdubio patefactione hic Iacobo patriarchæ facta aureum vitulum collocavit, & idololatriam ethnicam in populum Israeliticum invexit 1 Reg. 12. 30. Idcirco prophetæ indignum ea appellatione censuerunt, proque Bethel vocarunt Bethaven, id est, domum vanitatis & iniquitatis Osee. 4. 15. & 10. 5. Vnde patet religionem nulli loco affixam esse, vt Romanenses opinantur.

XII.

Quartò istud etiam hic occurrit, quòd Iacob ait, se ignorasse, Deum in Bethel esse præsentem. Aliqui enim opinantur, Iacobo ignoram fuisse vniuersalem Domini præsentiam. Sed non est credibile Patriarcham in verbis fidei ab ineunte ætate enutritum id nescivisse, quod ethnicis è lumine naturæ fuit cognitum Act. 17. 28. Rom. 1. 19. *Quomodo Iacob ignoraverit Dei præsentiam.*

XIII.

Magis itaque consentaneum, quod de speciali præsentia loquatur, quali Dominum Abrahamo in valle Mambra, inq; monte Moriã & Isaaco in Beerseba apparuisse seque peculiari visione manifestasse sciebat.

XIV.

Postremò quod Iacobus timuisse, & terribilem eum locum appellasse scribitur, non de servili terrore, neque superstitioso loci cultu, sed de filiali reverentia, quâ pios decet in sacris locis versari, Deique præsentiam venerari, intelligitur.

A 3

Questio

Questio secunda de somnijs in genere.

XV.

Secundum ex ijs, quæ proposita sunt, est somnium, Cum enim Iacobus capiti saxum substravisset, de quo postea dicemus, & obdormivisset, somnium illi oblatum est, quod mox, quale fuerit, explicabitur.

XVI.

Præmittenda prius videtur generalis de somnijs & nocturnis dormientium visionibus disquisitio, quam sex quæstionibus brevissimè complectemur.

XVII.

*Somnia ab ali-
quibus prorsus
contempta.*
Principio enim quæritur, num omnia somnia sint vana, & prorsus rejicienda. Nam Epicuræi & Xenophanes cum plurima fallere viderent, omnibus fidem derogarunt: Diog. Laërt. Et Atlantes Africæ populum nulla videre somnia cōmemorat Herodot. lib. 4. idemq; de Cleone Dauliensi & Thrasymede, quod fuerint ἀόρατοι, perhibet Plutarchus de def. orac.

XVIII.

Contrarium errorem Protagoras & Stoici professi sunt asserentes, omnia somnia esse vera & credenda.

XIX.

Prior autem opinio exemplis verorum somniorum, quæ in sacra scriptura extant, refellitur, posteriori opponitur illa Syracidæ cap. 34. sententia: multos errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis.

XX.

*Plurima somnia
sunt vana, ali-
qua vera.*
Media verò inter utramq; extremam sententia vera est, quod nimirum plurima sint frivola & vana, ut Ecclesiastes ait cap. 5. ubi multa sunt somnia multæ sunt vanitates, & sermones innumeri. Tu verò Deum time: Aliqua tamen sunt vera & observatione digna. Augustin, lib. 12. de Gen. cap. 13.

XXI.

Quod autem vana & inepta somnia, vel ex naturalibus causis, vel tiam à Satanæ ludificatione, qui princeps est tenebrarum, oriuntur

orientur dubium non est. Siquidem Deum, qui nihil leviter & frustra agit, autorem habere non possunt.

XXII.

Vera autem somnia ratione causæ efficientis sunt triplicia. *Somnia divina.*
Licet Augustinus libro de Spiritu & anima cap. 25. quinque species enumeret, utpote oraculum, visionem, somnium, insomnium & phantasma; sed his partim præteritis, partim ad suas causas revocatis, tria solummodo emergunt somniorum genera. Alia enim sunt *θεοειρημνα* divinitus exhibita, ut præsens Jacobi, item Abimelechi Gen. 20, Pharaonis Gen. 41. Nebucadnezaris Dan. 2, Prophetarum Num. 12. 6. Matth. 1. & 2. & 27. Act. 16. 9. 18. 9.

XXIII.

Nec moramur Aristotelis argumenta, quibus ulla reperiri divina somnia in libello *περι τῆς καθ' ὑπνον μαντικῆς* negat, cum nullius planè momenti sint, & præterea sacram scripturam adversam habeant. Nam quod præcipuè illud obijcit, somnia, si divinitus offerrentur, non immissum iri malis, id commode Tertullianus in libro de Anima solvit: cum solem suum & pluviam tam iustis quam iniustis distribuatur Deus, non mirum esse debere, si hæc etiam bona, quæ præfertim ad homines instruendos valent, utrisque impertiat. *Aristoteles negat somnia à Deo mitti.*

XXIV.

Secundò occurrunt somnia *διαβολικα*. Cum enim Deus Deut. 13. 1. Ier. 29. 8. Zach. 9. 2. Pseudoprophetas, qui somnia proferunt, ad stabilienda falsa dogmata, velit è medio tolli, & cum foedis somniis multi noctu polluantur Deut. 23. 10. de quibus Augustinus libro 10. Confess. cap. 30. gravem querelam instituit, de que in eodem lib. 12. de Gen. cap. 15. & lib. 11. de Trin. cap. 4. fert sententiam; ac denique phanatici, Anabaptistæ, Cinglius, Carolstadius, monachi alijque hæretici errores è somniis hauserint, divinatores item & coniectores, ut Aesculapij, Serapidis, Amphiarai cultores, de quibus Philostratus, Pausanias, Strabo, Plutarchus, inde orti sint: certum est, illa non à bono, sed malo Spiritu profecta esse. *Diabolica somnia.*

XXV.

Ad hanc classem pertinent visiones illæ confictæ, quibus Pontificij Purgatorium fulciunt, quale est Tundali somnium apud Vincentium *Visiones de purgatorio.*

Vincentium l. 27. c. 98. 99. qui secundū quietem vidisse se perhibuit
Cormattum regē in Igne purgatorio usq; ad umbilicum sedentem
& pro adulterio luentem. Huc pertinent turbulenta illa, quibus
Satanas non modò aliquando pios, sed etiam sceleratos exagitat,
sicut de Caligula, Nerone, & Othone commemorat Suetonius.
Vide Augustin. de cura pro mortuis cap. 10. 11. 12. 13.

XXVI.

Nec magnum est, ut ait Augustinus lib. 12. de Gen. cap. 14. tum
Satanæ ludibria dignoscere, cum aliqua produxerit, quæ sunt cō-
tra bonos mores, vel regulam fidei. Sed quando se in Angelum
lucis transmutat, 2. Cor. 11. ibi majore cautione opus est.

XXVII.

Naturalia somnia.

Alia denique somnia naturales habent causas, humores ni-
mirum in corpore humano, temperamentum, aëris quoque ex-
terni constitutionem, antecedentes actiones & cogitationes.
Nam alia vident sanguinei, alia Melancholici, alia cho-
lerici, alia phlegmatici, ut ait Augustinus lib. de Spiritu & ani-
ma cap. 25. ubi ἐπιάλτην etiam in hanc classem refert. Sicut Sa-
lomon ait: Eccle. 5. Vbi multæ sunt curæ, ibi plurima somnia.
Augustinus lib. 12. de Gen. cap. 19. & 20. ita distinguit, quòd ali-
qua naturalium à corpore, aliqua ab animo orientur.

XXVIII.

Tria somniorū genera iuxta Augustinum.

Tertia quæstio est de subjecto, in qua hominis facultate ob-
orientur somnia. Et Aristoteles sanè concludit: φανερόν, ὅτι τὸ αἰσθη-
τικὸν μὴ ὄσι τὸ ἐννοητικόν, τὸ δὲ τὸ φανταστικόν: mente verò som-
nia concipi idem negat, libr. de insomn. cap. 1. Verum huic
quoque opinioni sacra refragantur literæ, quæ divina somnia
menti & intellectui offerri ac imprimi testantur. Ideò rectè Au-
gustinus lib. 12. de Gen. ad literam cap. 6. & 7. tria facit insom-
norum genera, ut alia sint corporalia, quæ externo sensu, alia
Spiritualia, quæ phantasiâ, & denique intellectualia, quæ ratio-
ne percipiuntur.

XXIX.

Quarta quæstio de observatione somniorum est, quæ inde
emergit, cum Ecclesiastes capit. 5. & Syracides capit. 34.
vanos pronunciet illorum observatores, ane somnia observa-
ri debeant?

30. Sed

XXX.

Sed θεοπνευστα meritò à Sanctis Dei hominibus observata fuisse, divina approbatio testatur, Gen. 20. 28. 37. 40. 41. 42. Dan. 2. 1. Reg. 3. Iob. 7. 14. Ioël. 2. 28. Matth. 1. & 2. Ne verò naturalia negligantur, sed tum ab unoquoque, tum à Medicis potissimum notentur, valetudo cuiusque & necessitas flagitat: Omnis tamen abesse debet superstitio. Ideò Syracides quoque testatur, justam diætam tranquillum subsequi somnum, Syr. 31. 22. Diabolica verò vitanda & contemnenda sunt, Eccl. 24. 1. 2. 3. 4. 5.

Somnia divina & naturalia observanda.

XXXI.

Quinta dubitatio de eo est, num hodie quoq, divina somnia efferantur. De Diabolicis enim & Physicis nullum est dubium, quod sint frequentissima. Cum autem divina somnia vel doctrinam concernant, vel vitam & fortunas: illa Prophetis & Apostolis fuerunt familiaria, nunc unà cum miraculis desierunt, cum nullà indigeamus alià fidei confirmatione, quàm quæ sacris literis est prodita. Deut. 18. Esa. 8. Ebr. 1. nec illud Ioëlis 2. 28. vaticinium ad quævis tempora, sed juxta Petri interpretationem Act. 2. 17. ad initia novi Testamenti pertinet.

An hodie exhibeantur divinitus somnia

XXXII.

De rebus autem aliis, quæ vel ad Ecclesiæ vel uniuscuiusque commodum & periculum pertinent, Deum per angelos quandoq; monere in somniis, experientia multarum historiarum testatur. Sic Antonius in somno vidit mulos & asinos templa orthodoxorum devastantes, cum Arriana instaret persecutio: Sozomen: 1. 6. cap. 5. Et Iuliani apostatæ familiaris audivit in somno Apostolorum chorù de tyranno illo iugulando consultantem, apud Sozo. 1. 6. c. 2. Didymus Alexandrinus Iulianum interiisse per somnium cognovit, ibid. Theodosio contra Eugenium pugnantem Iohannes & Philippus Apostoli duces exercitus oblata sunt, apud Theodor. lib. 5. cap. 24. Quæ visa parentibus Mauricii Imperium ipsi spondentia, cum conceptus esset, oblata sint, Evagr. lib. 5. c. 21. quæ item Valentiniano de filio Valentiniano, Niceph. lib. 11. cap. 33. quæ porro suo tempore ad ædificationem Ecclesiæ pertinentia nonnullis noctu ostensa sint, Cyprianus & Tertullianus commemorant, & de Monica matre Augustin. lib. 6. Confess. cap. 13. Historiarum nostri temporis recitatione supersedeo

Exempla divinarum somniorum.

XXXIII.

B Rectè



Rectè autem de his sentit Augustinus & omnes orthodoxi, quòd non ex somniis & ostentis eventa, antequàm fiant, colligenda, sed ex eventis ipsa æstimanda sint.

*Somnia divina
vel à priori vel
à posteriore
exponuntur.*

XXXIV.

Postremò de somniorum interpretatione, cui illa competat, interrogatur. Ad divina proinde somnia quod attinet, nullius est, nisi prophetiæ præditus sit Spiritu, illa à priori explicare & futura è somniis prædicare, sicut Daniel ait: Mysterium, quod rex interrogat, magi, arioli, aruspices & sapientes nequeunt indicare regi: sed est Deus in cœlis revelans mysteria Dan. 2.

XXXV.

Sed à posteriore & ex eventis eadem æstimare cuilibet fidelis licet, iuxta regulam Jer. 28. 9. Cum Propheta pacem prædixerit, is agnoscetur, an à Domino verè missus sit, quando verbum ipsius impletur.

XXXVI.

*Naturalium
somnia in
interpretatio.*

Naturalium autem somniorum τεχνικώτατον κριτήν censet Philosophus eum, qui similitudines oblatarum in quiete imaginum cum rebus ipsis felicissimè comparare potest: estq; iudicium illud Physicum vel medicum duplex, aut ἐξηγητικόν, quò ἐυδουρειότα id est, clara somnia ab obscuris, vera à vanis, discernuntur, ipsaq; vera qualia sint, & quam significationem affectionum præsentium habeant, perquiritur: aut est μαυτικόν, vel σημαυτικόν quod non modò superstitione, sed etiam causarum remotarum admixtione carere, semperque ad Philosophi regulam comparatum esse debet, quod ex prognosticis Physicis non certò ἐσόμενα sed ἐνδεχομένως μέλλοντα coniectare liceat.

XXXVII.

Vt igitur hanc quæstionem concludamus, somnium Iacobi nequaquam diabolicum, neque etiam naturale, sed verè divinum est, qualia suis promittit Dominus Num: 12. 6. qua de re multa, sed suo more ἀλληγορικῶς Philo in libro de Somnijs.

Quæstio tertia de Scala Iacobi.

XXXVIII.

Expedita quæstione de somnio Iacobi, iam de scala & reliquis somnio contentis sigillatim dicendum est. Ac principio de materia

materia ejus non attinet quærere, cum *ὄραμα* fuerit menti divi- 3.
nitus citra ullam materiam oblatum. Quam ob causam Philo
non leviter hallucinatur, qui existimat, scalam istam inter coe-
lum terramq; intermedium esse aërem, eumq; esse domicilium
animarum corpore carentium.

XXXIX.

Quid Scala significet utilius investigatur. Nam Iudæi exi- *Rabinorum*
stimarunt per eam denotari, quod omnia inferiora dependeant à *opinio de Scala*
superioribus, quodque superiora in hæc inferiora agant. Quod *Iacobi.*
etsi suo modo verum est, Deus tamen hac tam luculenta visione
Iacobo istud non voluit ostendere, cum illi antea notum fuerit,
à Deo omnia gubernari, & cum experientia, eq; creationis hi-
storia à Patribus audita didicerit, à sole & coelestibus corpori-
bus substrata elementa variè affici. Gen : 1.

XL.

Veram autem ejus typi interpretationem Christus Natha-
naëli Ioh. 1. 52. tradit, cum ait : Amen amen dico vobis, posthac
videbitis cælum apertum, & angelos Dei ascendentes & de-
scendentes super filio hominis. Hinc enim perspicuū est, Scalam
præsentem illustrem fuisse typum Christi.

XLI.

Ac tametsi Iudæi testimonia novi Testamenti aspernantur, *Contra Iudeos*
ex oratione nihilominus Dei convinci possunt, Scalam seminis *rum nugas.*
benedicti figuram fuisse : id quod ita probatur.

XLII.

Dominus Iacobo quatuor beneficia spondet : primò terræ,
in qua jacebat, possessionem, deinde posteritatis multiplicatio-
nem, tertio seminis benedictionem & Messiaë ex semine ipsius
propagationem, deniq; tutelam ac protectionem in itinere.

XLIII.

Extra controversiam verò est reliqua tria semen illud bene-
dictum seu Messiam omnia respicere & illius causa Iacobo divi-
nitus conferri.

XLIV.

Certissimum insuper & istud, quod Deus sua promissa insigni
typo scalæ confirmare voluerit. Quid enim alioquin per scalam

in hoc actu ostenderetur? nisi signum & tessera eorum benefici-
ciorum, quæ Deus Iacobo stipulabatur, esse deberet?

XLV.

Cumq; ista promissio, qua Deus Iacobo dicit: Benedicentur
in te omnes familiae terræ & in semine tuo, caput sit cæterarum,
ut modò indicatum: inde efficitur, scalam istius promissi seminis
typum esse & figuram. Nec est, quod Sophisticis suis interpre-
tationibus sententiam promissionis corrumpere & obscurare ve-
line, quasi Dominus dixisset, propter te & propter filios tuos be-
nedicentur omnes cognationes terræ, ut habet Onkelus.

XLVI.

Propter Iacobi enim pietatem & filiorum eius merita adeo
non benefactum est omnibus terræ cognationibus, ut potius
propter illos ipsos Ægyptij & Cananæ gentes divinitus op-
pressæ fuerint.

XLVII.

Nec usitata illa Rabinorum corruptela locum habet, quasi
istud dicere voluisset Dominus, Iacobum fore exemplum homi-
nis benedicti verèq; beati, ita, ut eius felicitas in proverbium
abitura esset. Quandoquidem istud apud omnes populos in uni-
verso orbe terrarum nunquam est factum. Sicut etiam id ipsum
supra Gen: 12. de eadem hac promissione facta Abrahamo osten-
sum est.

XLVIII.

Hoc præcipuum est, quod de Scala monendum erat. Iam
quid basis, quid vertex, quid gradus, quid ligna collateralia,
quid angelorum ascensus & descensus denotet, & quo pacto sin-
gula partim ad significandas duas in Christo naturas earumque
personalem unionem, partim ad describendum Mediatoris offi-
cium, quo coelum terræ reconciliavit, januamq; paradysi nobis
aperuit, referri debeant, id è scripturæ sententijs Ioh. 1. 52. & 3.
13. & 10. 9. & 14. 6. Ephes. 1. 10. Col. 1. 20. 1. Tim. 2. 5. prolixè ex-
posuerunt Augustinus lib. 16. Civ: D. cap. 38. in quæst. super
Gen. cap. 83. lib. 12. contra Faustum cap. 26. tract. in Iohan. 7.
Psal: 44. Sermone de verb. Dom. 40. de tempore 80. Theodo-
retus quæst. 82. Cyrillus in Gen. l. 11. Bernhardus in Psalm. 91.
epist. 254. & 341. Tertullianus advers. Marcionem lib. 3. &c.

Quæstio

*Allegorica Sca-
le interpreta-
tio unde peten-
da.*

*Questio quarta de lapide, quem
Iacobus unxit.*

XLIX.

De lapide porrò, quem Iacobus pro cervicali habuerat, duo commemorat Moyses. Vnum est, quod illum Iacobus tulerit & erexerit in statuam, quam Matzebah à stando, nuncupat, Græci *σῆλω* vocant.

L.

Iosephus existimat plures fuisse lapides: & quidam inde illud constare censent, quod v. 22. Iacobus pollicetur, se facturum, ut lapis iste fiat domus Dei. Sed textus hebræus habet singulare & quidem cum He demonstrativo, quod ostendit, fuisse hoc saxū peculiari magnitudine aut re quapiam alia insigne.

LI.

Neq; existimemus, Iacobum eiusmodi idololatricam statuā de hoc saxo fecisse, quales divina lex gravissimè execratur Levit. 26. 1. aut divinum illi honorem exhibuisse, sicut cæci ethnici & pontificij columnas & mutas statuas venerantur. Esa. 40.

LII.

Ideo rectè Augustinus lib. 16. Civit. D. cap. 38. scribit: Hoc ad prophetiam, inquit, pertinet: nec more Idololatriæ lapidem perfudit oleo Iacob, velut faciens illum Deum: neq; enim adoravit eum lapidem, vel ei sacrauit. Nam monumentum, non delubrum aut idolum Iacobus posuit, sicut etiam Iosua fecit, Ios: 4.

LIII.

Alterum deinde, quod de isto saxo traditur est, quod Iacob *Lapis oleo unctus,* oleo illud unxit. Vbi quæritur, unde oleum habuerit? Consentaneum verò, Iacobum lagunculam olei & panem pro viatico secum portasse, qua etiam de causa commodius extra oppidum pernoctare potuit.

LIV.

Unctio lapidis nihil habet superstitionis, sed partim rei presentis significationem, partim futuræ figuram. Notare vult locum Iacobus, in quo tantarum rerum sibi facta fuerat promissio: quam ob causam in voto suo spondet, se lapidem istum in reditu effectu-

effecturum aram & templum Domini, ut nimirum omni posteritati hoc $\mu\eta\mu\epsilon\acute{\iota}\sigma\eta\varsigma$ testetur, Iacobo eiusq; posteris Messiam divinitus promissum esse.

L V.

De figura & typo rectè iterum Augustinus loco indicato: Christi nomen, inquit, à Chrismate est, id est, ab unctio ne: profecto figuratum est hinc aliquid, quod ad magnum pertinet Sacramentum. Cui subscribit Alcuinus quæst. 227.

L V I.

Fidelium uxores imitatae hanc unctio- nem.

Quod autem postea in ecclesia novi testamenti uxores fidelium, ut ait Theodoretus quæst. 83. hoc imitatae consueverunt in templis divinis oleo ungere adytorum cancellos & sanctorum martyrum thecas, ad demonstrandam animi pietatem: id $\kappa\alpha\kappa\omicron\zeta\eta\lambda\acute{\iota}\alpha\upsilon$ redolet, siquidem typi & figuræ in Christo defierunt. Col. 2. Ebr. 10.

L V I I.

Manifesta verò est superstitio quod Pontificij aras, & non nisi è lapidibus extractas, Chrismate inungunt, iuxta Concilij Epauensis decretum: de consecr. dist. 1. c. 31.

Questio quinta, de voto Iacobi.

L V I I I.

Votum.

Supereft votum patriarchæ, cuius occasione de votis in genere nonnihil dicendum est. Ac initio votum in latina lingua sicut & græca vox $\epsilon\upsilon\chi\eta$ duo significat: alias desiderium & precationem, alias promissionem & obligationem, de qua posteriore significatione hic agitur.

L I X.

Secundò, ad originem votorum quod attinet, illa hinc fluxit, quod pij intelligebant se pro acceptis beneficijs Deo gratitudinem debere, sicut ipse præcipit: Non apparebis vacuus.

L X.

Tertiò, falsa est Lyra hoc loco & pontificiorum definitio, qua vota esse dicunt promissiones Deo factas de operibus supererogationis, id est, divinitus non mandatis; deq; ijs, quæ nō sunt de necessitate salutis. Vovet enim Iacobus verum vero Deo cultum, in quo profecto fundamentum salutis subsistit.

L X I. Atq;

LXI.

Aeq; istam διαγραφὴν Pontificiam distinctio votorum fortissimi-
mè refellit; de qua sciendum, quod alia sit votorum ratio in vete-
ri, alia in novo Testamento.

LXII.

Ac in veteri quidem Testamento facta & soluta fuisse vota ^{1.}
extra controversiam est. Voverunt enim pii homines aliàs in *Quotuplicia*
periculis aut rebus adversis constituti, ut Iacob hoc loco, Hanna *vota.*

1. Sam. 1. Ionas Ion: 2. Psal. 66. & 76.

LXIII.

Aliàs vovebant etiam extra periculum ad gloriam Dei cul- ^{2.}
tumq; eius iuxta legem amplificandum, qualia erant sacrificia *Vota vet. Te-*
voto concepta Lev. 7. Num: 15. ad constructionem tabernaculi *stamenti tripli-*
& templi, ad sustentationem Sacerdotij & pauperum sponte ob- *cia.*
lata, 2. Par. 5. Psal. 131. 2. Reg. 2. 1. Par. 28. Lev. 27. Deut. 12.

LXIV.

Præter hæc erant peculiaria vota ceremonialia, & Nazara- ^{3.}
orum Num: 6. Rechabitarum Ier: 35. & quæ alia Deus appro-
bavit modumq; reddendi præscripsit Deut. 23. Psal: 66. Levit. 7.
& 22. & 23. & 27. Psal: 50. Deut. 12. Ex. 25. Num: 30.

LXV.

In novo autem Testamento à ceremonialibus prorsus soluti *Vota novi*
sumus, Act. 15. Gal. 5. Col: 2. etsi primis temporibus nonnihil *Testamenti.*
infirmorum causa indultum quibusdam fuit. Act. 21.

LXVI.

Sed vota seu promissiones, quibus homo regeneratus Deo
se obstringit, ad facienda moralia, in decalogo & in verbo Dei
præcepta, ab omnibus præstandæ sunt, Vnde Petrus baptismum
vocat stipulationem bonæ conscientiae 1. Pet. 3. Psal: 50. & 76.
12. & Augustinus in Psal: 56. Super me vota tua, inquit, Homo
in primis Deo seipsum offerre debet. Sicut etiam Paulus flagitat
talia Christianorum sacrificia Rom: 12. 1. & 6. 19. Rom: 15. 16,
Psal: 116.

LXVII.

Quod præterea ad peculiare attinet in operibus alioquin
generaliter divinitus mandatis circumstantias, temporis, loci,
quantitatis, conditionis, in illis Christiana libertate merito frui-
mur. Siquidem populus esse debemus spontaneus Ps: 110. Ro. 8.

LXVIII. Qua-

LXVIII.

Libertas Christiana in votis. Quapropter Paulus de eleemosynarum quantitate verba faciens hanc tradit regulam, si voluntas prompta est: secundum id, quod habet, accepta est, non secundum id, quod non habet. 2. Cor. 8. ex quo intelligitur ultra vires & facultates neminem obstringi.

LXIX.

Ita quod in cultu Dei, utpote in precibus, meditatione verbi, &c. externas attinet circumstantias loci, temporis & similes, meminerimus illa esse σωματικὴν γυμνασίαν, 1. Tim. 4. cuius usus est non ad promerendam Dei gratiam, vel ad satisfaciendum pro peccatis: sed ad castigandum corpus & veterem frenandum hominem, & deniq; ad εὐταξίαν 1. Cor. 14.

LXX.

Voti cultus. Monasticis autem & Papisticis votis ieiunij, Virginitatis, paupertatis, peregrinationum & similibus hæc nihil patrocinantur: cum illa verbo Dei repugnent, & pleraq; sint ἀδύνατα naturæ ordinem evertentia, & impiam opinionem meriti & peculiarium cultuum complectantur, cuiusmodi ματαίωθης κείας & ἰδεολογησκειας scriptura execratur Matth. 15. Esa. 29.

LXXI.

His ita expeditis de sententia voti Iacobæi quaeritur, num gratis illum piguerit esse pium, quandoquidem, se Deum verum, ea sub conditione, culturum recipit, si præstet promissa beneficia. Sic enim ait: si fuerit Deus mecum & custodierit me in via ista, quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum &c. Erit mihi Dominus in Deum &c.

LXXII.

Et alij quidem infirmitati hanc hypotheticam Iacobi orationem adscribunt: alijs præ nimia animi lætitia sic locutus videtur, quæ expositio fidei Iacobi magis consentanea est, ut particula Δὲ non sit conditionalis, sed vel causam vel tempus denotet, hoc pacto: postquam Dominus mecum fuerit, & custodierit me in via ista, ut cum pace huc revertar, tum verò Dominus mihi semper erit Deus. Aut ita: Quandoquidem Dominus mecum est, ut modò pollicebatur, idcirco æquum est, ut gratitudinis ergò ipsum pro Deo perpetuo colam.

LXXIII.

culia



Prædicat Iacobus quinque; Dei in se beneficia, præsentiam peculiarem, 2. Custodiam in itinere, 3. Victum suppeditatum, 4. Vestimenta data, 5. Reductionem in terram promissam, è quibus αὐτάρκειαν ἰσθίς æstimare licet, siquidem non magnificas opes, sed διατροφὰς ἢ σκεπέσματα desiderat 1. Tim. 6.

LXXIV.

Pro his autem beneficijs tria gratitudinis indicia offert, 1. Perpetuum verbi Dei cultum, cum ait, erit Dominus mihi in Deum, id quod corde coram Deo perficitur 1. Pet. 3. 15. 2. Templi constructionem, quod ad externam confessionem pertinet Rom: 10. 9. 3. Denique decimarum oblationem.

LXXV.

Quod ait, Dominus mihi erit in Deum, illud non pertinet ad præcedentem beneficiorum Dei enumerationem, sed est voti initium: nec significat, eum ante hac Dominum pro Deo non habuisse, & acceptis demum tot beneficijs ad eius cultum excitatum fuisse: neque etiam peculiarem cultum supererogationis, ut censet Lyra, Domino vovet: Sed ad perpetuam divini numinis venerationem se obstringit, eamque publicam erecto sacello & altari.

LXXVI.

Hæc locutio, lapis erit domus Dei, nequaquam est metonymia, ut opinatur Calvinus & alij, sed omnino talis, ac si monstrata farina dicam, hæc farina erit panis, & ostensis lignis ac lapidibus pronunciem, hæc materia erit domus. Etsi enim unus lapis ad construendum templum non sufficiebat, de præcipuo tamen maximeque insigni saxo pronunciat, quod ad reliquos eius loci lapides pertinet, per σὺν ὀρχῆν scripturæ usitatissimam.

LXXVII.

Quod si Iacobus in præsentem diceret: lapis iste est domus Dei, videretur fortasse innuere, illum lapidem tantisper fore monumentum & signum extruendi templi, donec templum construere: jam vero cum utatur futuro, lapis erit domus Dei, non habet locum metonymia. Quandoquidem Dei iussu Iacobus postea templum illic exædificavit Gen: 35. 1. 7.

LXXVIII.

Denique decimas promittit Iacobus de omnibus, quæ daturus esset Dominus, fruges intelligens & pecudes, quæ ad Sacrificia requi-

C

requi-

requirebantur, non liberos, quos immolare nefas erat.

LXX X.

Atq; hinc liberalitas & beneficentia eius erga pauperes & ministerium apparet: Sacros enim redditus ad sacrificia & sustentationem discipulorum veræ religionis templo Bethelensi attribuit decimam quamq; suarum facultatum partem.

DE CAPITE XXIX. GENES:

Thesis I.

In capite 29. & 30. Gen: continetur historia de œconomica Iacobi conditione: & præsentis quidem capitis tria sunt membra, quorum primum de adventu eius in Haran, alterum de inito coniugio, tertium deniq; de liberis loquitur.

Questio prima de Haran & puteo.

II. Cum principio Moses indicet, quo Iacobus suo itinere tandem appulerit, eius loci descriptio diligenter examinanda est.

III. Nam quod pedes suos levasse dicitur, id partim festinationem & alacritatem, qua post acceptam lætissimam Dei promissionem hilaris incessit, partim etiam habitum istius viatoris denotat, quod nec curru nec equo vectus sit, sed pedes incesserit. Eaq; res nos tum ad alacritatem tum ad humilitatem in vocationis nostræ officijs excitare debet.

III. Deinde regio, in quam pervenit, vocatur terra filiorum Orientis, id est, hominum Orientalium. Mesopotamia enim Iudææ ad ortum sita est.

*Haran, Haran,
Charan, Car-
vas.*

V. Civitas porro, ubi substitit, est Charan five Carras, ut Tob. 11. & à Plinio ac Ptolemæo appellatur, de qua notum illud:

Crassus ad Euphraten aquilas, natumq; suosq;

Perdidit, & letho est ultimus ipse datus,

quod anno ante Christum natum quinquagesimo accidit.

*Allegoria pu-
tei clausi.*

VI. Quod deniq; ad Puteum attinet, ubi Iacobus desedit, clauditur ille ingenti saxo, quæ res ἀδυνατοῦς ita expornitur, quod fons vitæ, sacra nimirum scriptura, humanarum traditionum involucris clausa sit & operta, nisi Christus, per Iacobum adumbratus, operculum removeat.

Questio

*Quaestio secunda de colloquio Iacobi
cum pastoribus.*

VII. Sequitur porrò colloquium Iacobi cum pastoribus, in quo ista notanda sunt. Primò quidem qua illos ratione fratres nominet, cum proculdubio sint à vera religione alieni. Ad quod respondetur, fratres ab eo nuncupari nequaquam ob confessionem, sed ob communem hominum originem, ac inde promanantem coniunctionis necessitudinem. Frater est homo homini carne, non spiritu, secundum generationem non iuxta regenerationem.

Iacobus pastores nominat fratres.

VIII. Deinde de Labano interrogans nominat eum Nachoris filiū, qui nepos erat è filio Bathuele, idq; usitata phrasi scripturæ.

IX. Denique quòd Iacobus ad eosdem ait: Ecce adhuc dies multa est, nondum est tempus, ut congregetur grex: potum ergo date ovibus, & abite, pascite, ex eo licet animadvertere quam gnarus fuerit patriarcha rei domesticæ: neq; πολυπραγμοσύνη argui potest amica eius admonitio, cum hoc officium alter alteri debeat.

*Quaestio tertia de colloquio Iacobi
cum Rachele.*

X. Dum Patriarcha cum pastoribus confert, Rachel venit cum pecudibus patris sui. Nam illa gregem pascebat, quod primum hic notari debet. Adeo nimirum à mollitie & otio nostri seculi maiores alieni erant, ut filiarum opera ad sordidum pascendi gregis ministerium uterentur: tanta verò etiam continentia, ut virginis castitas inter pastores alios non periclitaretur: tanta deniq; Rachelis fides, ut illi præ altera grex fuerit concreditus.

Rachel pascit gregem paternum.

XI. Quemadmodum & nomen ipsius innuit, ipsam divinitus ab utero ad hoc officium deputatam fuisse, ut pascendo gregem typus Ecclesiæ fieret. Nam רַחֵל Rachel ovē significat, Esa. 53. 7.

Iacob solus remouet lapidem ab ostio putei.

XII. Alterum observatione dignum est, quod Iacob solus saxum ingens ab ostio putei remouet. Quærent enim aliqui, an lapis tam grandis fuerit, ut nisi coniuncta pastorum opera devolvi non potuerit, an verò lege & conventionem non licuerit, absentibus reliquis, gregem adaquare.

C 2

XIII. Sed

Osculum Ra-
ehelis.

XIII. Sed quod lapis tantæ fuerit molis, è textu versus octavi clarè patet. Vnde sequitur Iacobum aliquot juvenibus robustiorem fuisse, quod pro singulari spiritus sancti ὄργανῳ rectè D. Lutherus agnoscit, quale erat in Samsone, Davide & alijs. Atque ita primus Patriarchæ accessus miraculo pastoribus innotescit.

XIV. Tertio quod de Iacobo scribitur, illum consobrinam Rahelem osculatum esse, non lasciviæ sed consuetudini illorum temperum & locorum adscribendum est, & Moses ilicò declarationem adiicit, quod puella osculari se passa sit, cum intellexisset eum non peregrinum, sed consobrinum esse.

XV. Quarto quod inter Osculum elevata voce flet, generosi & pijs animi est indicium. Nihil enim habet aliud, quod Deo pro itinere feliciter confecto proq; insperato hoc gaudio, quo ad consobrinæ contuitum perfunditur, offerat, quàm lacrymas, quas illi non mæror, sed intima animi lætitia provocat.

*Questio quarta de colloquio & pactione
nuptiali Labanis & Iacobi.*

XVI. Verecundiæ virginalis est quod Rachel hospitem non ipsa domum deducit, sed rem omnem Patri indicat: unde non obscure colligitur, matrem fuisse mortuam, alioquin enim proculdubio illi prius retulisset, ut Rebecca cap. 24. Genes.

XVII. Laban autem obviam Iacobo processit, eumq; osculatus domum deduxit, quod Eleasaro pari humanitate fecerat. Gen. 24. adeò nimirum facilè est hypocritis externam formam mansuetudinis ac hospitalitatis induere.

XVIII. Interim adventus Iacobi pedestris non parum illi suspectus fuit, cum servum Abrahami opulento commeatu instructum fuisse recordaretur. Gen. 24. quam ob causam etiam Iacobus totam itinèris sui rationem ipsi exposuit, ut Moses ait: narravit illi omnia verba seu negocia hæc.

XIX. Fabula est Rabinorum, quod fingunt, Iacobum camelos & magnam vim auri argentiq; è paternis ædibus secum duxisse, ab Eliphato autem Esavi filio spoliatum esse.

XX. Sed cum reliqua in hac narratione sint perspicua: de pactione nuptiali videndum est, ei namq; occasionem præbet Labanus de mercede Iacobo persolvenda certior fieri cupiens.

XXI. Laba-

Fabula Iu-
daica.

XXI. Labanus autem præter filios, de quibus cap. 31. duas habebat filias, maiorem natu & primogenitam ut est versu 26. Leah, & minorem Rachelem.

XXII. Et utriusq; formam Moses describit. Leah enim habebat oculos teneros, quæ phrasis ab alijs de elegantia accipitur oculorum, quæ solis oculis venusta fuerit. Nam Rach mollem, tenerum & delicatum significat. Deuter. 29.

XXIII. Sed cum illi Rachelis opponatur pulchritudo, dubiû non est, quin vulgata versio sit hoc loco verissima, quod lippos habuerit oculos.

XXIV. Atq; hinc adeò accidit, ut Iacobus posthabita Leah, Rachelem amore minimè lascivo & impudico, sed coniugali & casto diligeret. Cum enim forma donum quoq; DEI sit, non est illicitû venustâ deformi præferre, quod Abrahamus quoq; facit.

XXV. Quoniam igitur Laban non absq; mercede opera Iacobi, quam fidelem & industriam integro mense animadverterat, uti volebat, Iacob indicat, se pro filia Rachele annos septem servituum.

XXVI. Hinc verò oritur Quæstio; num pro uxore impetranda operam suam locare liceat, cum uxoris alia sit, alia ancillæ precio emtæ ratio, & cum Genes. 32. 15. ipsæ mulieres Iacobi se venditas conquerantur.

XXVII. Sed quia Iacobus non quæstus, verum uxoris causa advenerat, ille quidem necessitati paret, Labanus autem in avaritiæ crimine hæret. Sordida enim est barbaries, quod filias pro rusticis operis divendit, ita nimirum respondens: Melius est, ut dem eam tibi, quàm ut dem eam alteri, mane mecum.

XXVIII. Insignem pijs consolationem in eo propositam meminimus, quod liberam non nisi servitio adipiscitur, quod Dominus terræ Chanaan in exilio servit, & quidem pius impio, quodq; puella pia quæstui est impio patri.

XXIX. Quid interim animi Iacobus septennali in servitio habuerit, Moses hisce verbis indicat. Visi sunt ei dies pauci, eò quod diligeret eam: Hebræus textus vocat dies unos, id est, paucissimos vel ita ut singuli anni singulorum diernm instar essent.

XXX. Vbi quæritur qua ratione Iacobo tempus breve visum sit, cum omnis alioquin mora amantibus molesta sit? & respondetur,

detur, non libidinosum, sed maritalem eque vera fide promanan-
tem hunc fuisse amorem, qui non tam copulam quam divinæ pro-
missionis certitudinem Gen. 28. 15. in conspectu habebat. Non
igitur nuptias ut eminus positas dubia spe anxius expectabat,
sed fide corroboratus quasi presentibus fruebatur Ebr. 11. v. 1.

Questio quinta, de nuptijs Jacobi.

XXXI. Exacto septennio debebat equidem Laban, si verè
Laban, id est, candidus & integer esset, promissi memor filiam
sponso tradere, sed homo sordidus veteratoriè cunctatur donec
Iacob ab illo eam postulet. Da uxorem meam inquit, quia
impleti sunt dies mei, ut ingrediar ad illam.

*Virgo despon-
sata vocatur
uxor.*

XXXII. Vxorem vocat virginem, sed desponsatam perinde
ut Mariam nominat angelus. Matth. 1. 2c. itaq; sponsalia non
carnalis copula & nuptiæ coniuges faciunt.

XXXIII. Per dies suos completos nequaquam ætatem suam,
ut quidam falso existimans, sic ista exponit, quasi nuptias ab ini-
tio statim septennalis servitij, non à fine celebrasset, sed tempus
præstiti ministerij exactum intelligit. Nulla proinde hic *ὑπερολογία*.

XXXIV. Memorabilis verò patriarchæ & matriarchæ conti-
nentia, quod unis in ædibus, septennali conversatione casti unà
habitarunt, & quod non clanculum sed solenni ritu convenire
voluerunt. Iacobus enim quamvis suam, non rapit, sed dari sibi
poscit.

XXXV. Pudore itaq; & iustitiæ conscientia coactus Laban
nuptiale convivium convocatis vicinis instituit. Nuptiæ pro-
inde & aliæ honestæ ceremoniæ, quibus novi coniuges, publice
ac solenniter coniunguntur non in papatu inventæ, sed antiqui-
tus celebratæ sunt, qua de re plura cap. 24. Genes. dicta sunt.

*Impostura
Labani.*

XXXVI. Eccum autem tibi veteratorem planè improbum.
Cum enim Laban ardentissimum Jacobi erga Rachelem amorem
cognitum haberet, metueretq; illum sponsa potitum in patriam
rediturum, seq; labore suo, quem fructuosissimum expertus fue-
rat, privaturum, Leam pro Rachele supponit, nocturnarum te-
nebrarum tegumento usus.

*Iacobus cum
LEA concum-
bens.*

XXXVII. Atq; ita Iacobus foedè deceptus cum ea concumbit
(quod Spiritus sanctus ingredi verecundè appellat) quam sibi nun-
quam

quam expetiverat. Itaq; concubitus non quidem est coniugalisy cum consensus legitimus desit, neq; tamen ex parte Iacobi culpandus, licet Labani & Leæ vitio sit fornicarius. Iacobum enim error iste invincibilis, ut à Luthero nuncupatur, non minus excusat quam sanctas virgines, quæ per vim stupratae sunt: cum non de corpore pereat castitas, dum eo sanctè utendi perseverat voluntas: & cum eius sit flagitium tantum, qui opprimens concubueri, non illius quæ oppressa concumbenti nulla voluntate consenserit. August. lib. 1. Civit. Dei, c. 18. quod pulcherrimo exemplo Beatæ Luciae virginis patet, caus. 32. q. 5.

XXXVIII. Peccatum Labani si excutias non modò mendacium fraus & dolus, sed incredibilis *æsoçyia* & avaritia est, qua instigante, non pudet eum filiam prostituere, & in extremum honoris discrimen conijcere. Nec puella extra culpam est.

XXXIX. Quod hanc imposturam Iacobus tota nocte non prius animadvertit, quàm sole illam manè detegente, id verò nequaquam temulentiae & præcipiti libidinis furori, sed partim eius simplicitati & dilectioni, quæ omnia sperat & quæ facile decipitur, partim etiam astutiae virginis, quæ vocem & gestum Rachelis à patre edocta in tenebris simulavit, adscribendum est.

XL. Magna verò est iuvenis *ἐπιείκεια* & æquitas, quod non cum Leah sed cum patre fraudis autore expostulat, nec illam vicissim eijcit.

XLI. Turpem suam deceptionem Laban titulo in speciem honesto consuetudinis excusat, cum genero ait: Non ita fit in loco nostro (Hebraicè, non facit, per enallagen activi pro impersonali) ut detur minor ante primogenitam: quo pacto etiam monachi & Pontifici catholicam Scortationem consuetudinis velamine tegere coguntur.

XLII. Vanissimum autem hoc esse commentum, reliqua eius arguit oratio. Quorsum enim diceret: Exple hebdomadem huius, *Mos quem Laban præterdit.* Mos quem Laban præterdit. postea dabimus tibi hanc *PRO SERVITUTE*, quam servies mihi adhuc septem annos alios? Si enim ordinis solummodo haberetur ratio, quid septennali servitio opus esset?

XLIII. Fucus proinde erat, quo impostor iniquissimam suam nundinationem, quam prostitutis filiabus exercuit, publicæ honestatis colore illinere voluit.

XLIV. Ac

XLIV. Ast si talis fuit consuetudo, cur illam toto septennio clam habuit? cur non ab initio in eam cum genero pactus est? quid fraudulenta illa Leæ submissione opus fuit? si alioquin marito potiri non potuit, nisi idem maiorem prius duxisset.

XLV. Immo verò omni æquitati eiusmodi consuetudo repugnat, si alterius cunctatio vel dilatio alterius in fraudem cedat.

XLVI. Licet autem Iacobus se decipi videret, & Leam iure optimo, utpote nunquam expetitam, dimittere posset, utrumq; tamen sibi persuaderi patitur, tum ut illam retineat, tum ut ad alterius septennij servitutem se adstringat.

Peccata Labani.

XLVII. Neq; dubium est Labanum hac in re multis modis gravissimè deliquisse, quod polygamix generum & filias & quidem incestuosæ implicat, quòdq; duas filias in unum lectum coniicit, & odijs nunquam desituris inter Sorores initia ac fomenta præbet.

XLVIII. Etsi enim divina lex non lata erat, quæ cavet, ne quis uxoris suæ sororem ducat illa adhuc vivente Lev. 18. v. 18. natura tamen ab eiusmodi commixtione abhorret.

XLIX. Sed cum error iste in Iacobo fide in Christum mediatorem tegatur, neq; uspiam in Scriptura vituperetur, & ipse dominus hoc eius coniugium ratum habeat, iniquior est Calvinii sententia, quæ Patriarcham non minus, quam Labanum in hoc negotio inculcat. Domino enim licet de sua lege dispensare: & heroica Patrum exempla non sunt ad imitationem trahenda.

Questio sexta de quatuor Filijs Iacobi è Leah susceptis.

L. Postremum capitis membrum fructum coniugij Iacobi commemorat, & Leah fecunditatem celebrat. Ac primò causam eius indicat fuisse non naturam sed Dominum Psal. 113.

LI. Deinde quo pacto Dominus ad illud beneficium commotus sit, indicatur, non precibus, & meritis Iacobi, sed propria misericordia, quæ paternè Leahm marito exosam respexit.

LII. Exosam dicit, non quod hostili eam odio sit persecutus, sed minore amore complexus. Itaq; neglectio & tepidus amor spiritui sancto, odium vocatur.

LIII. In

LIII. In primis autem hic notari debent nomina, quæ filijs quatuor Leah imposuit, quorum interpretatio in textu est. Fecit enim hoc mater tum ad Dei gloriam, tum ad sui consolationem.

CAPVT XXX.

I. Duæ sunt huius capituli historiae, prior de liberis, quos Iacobus è quatuor uxoribus suscepit: posterior de pactione mercedis; De illa nunc, de ista proximè videbimus.

Questio prima, de Sororum Zelotypia.

II. Principio autem occurrit quæstio, quid de invidia & indignatione Rachelis erga Sororem sentiendum sit, de qua Moses ait: Videns autem Rachel, quod non pareret Iacobo, æmulata est sorori suæ.

Rachel peccat æmulatione.

III. Ac certè æmulationes fratrum & sororum nullo modo probanda sunt, sed inde potius humanæ naturæ agnoscenda depravatio, quæ sanctis etiam adhæret. Vnde Theodor. q. 85. ait, hæc mulieres Zelotypiâ laboralle, eò quod essent imperfectiores & hominis superstitiosi filia.

IV. Neque Rachelem ab invidiæ peccato excusat Lyrae distinctio, qua duplicem tradit invidiam, propriè & impropiè dictam. Vere enim Rachel suæ sterilitati sororisq; facunditati indignata, cumq; viro eam ob rem iurgata est, quod est carnis opus, Gal. 5. 1. Cor. 13.

Invidia duplex.

Questio secunda, de importuna postulatione Rachelis.

V. Invidiæ peccatum Rachel cumulat importuna flagitatione, quâ maritum in hæc verba alloquitur: Cedò mihi liberos, sin minus, ego morior.

VI. Etsi enim piæ matronæ veteris Testamenti desiderio venturi Messia, quem è suo genere nasciturum sciebant, sobolis suscipiendæ fuerunt cupidissimæ, quod laudandum non vituperandum est.

Rachel postulat à Iacobo liberos.

VII. Attamen quod Rachel donum liberorum absq; ulla conditione per iurgium flagitat, & quidem à marito, & deniq; cum comminatione mortis, id excusationem nullam admittit. Longè aliter Rebecca Genes: 25. & Hanna, 1. Sam. 1. aliaq; mulieres à Deo liberos rogârunt.

D VIII Qua-

VIII. Quapropter merito Iacobus succenset, eamq; graviter objurgat: An loco Dei ego sum? qui prohibuit à te fructu ventris: hac oratione indicans, impium esse existimare, quod ad liberorum procreationem parentum sufficiat opera, & non potius certo statuere, illos à Deo donari, Psal. 128.

Questio tertia, de inductis ancillis.

*Tetragamia
Iacobi.*

IX. Tertio sciendum hic est, quo loco haberi debeat Iacobi polygamia, qua non modo duas ducit uxores, sed duas insuper illarum ancillas, Billam Rachelis & Zilpam Leæ famulam.

X. Verum de hac re cap. 16. Gen. dictum est, quod nimirum peccatum equidem sit, contra primam conjugii sanctionem, qua divinitus constitutum est, ut duo essent in carnem unam, Matt. 19.

XI. Interim Deus in Patriarchis hoc toleravit, sicut multas alias infirmitates, præsertim cum illi non libidinis, sed numerosæ sobolis, & in primis sperati Messia causa plures haberent uxores.

XII. Neque istæ ancillæ, Billa & Zilpa, scorta aut eiusmodi concubinæ, quales catholici illi Scortatores alunt, sed legitimæ uxores fuerunt, qualis erat Abrahamo Agar & Cethura.

*Iacob castè
usus quatuor
uxoribus.*

XIII. De Iacobi vero castitate, quam in hac sua tetragamia præstitit, pulchrè Lyra scribit: Iacob duabus sororibus usus est temperanter, ancillis obtemperanter, nulla intemperanter.

Questio quarta, de nomine Nephthali.

*Luctationes
Dei.*

XIV. Quod porro ad nomina filijs indita attinet, perspicua illorum est in textu interpretatio: in eo nonnihil obscuritatis harere videtur, quod nato Nephthali Rachel ait: Luctationibus Dei luctata sum cum sorore mea, & valui seu obtinui.

XV. Dupliciter enim hanc orationem interpretes reddunt: Alij quidem de consilio Rachelis, quasi diceret se inita ratione de ancilla marito copulanda cum sorore quasi luctatam esse & superiorem evasisse: Alij verò rectius de eventu & benedictione Dei, quasi diceret, permutationibus Dei permutata sum cum sorore, eiq; præposita.

*Nephthali à
permutatione
non à lucta
dicitur.*

XVI. Verbum enim נִפְתָּלִי significat permutare, aliàs quidem in bonam, frequentissime autem in malam partem, de versutia, prov. 8. 8. In iustitia non est נִפְתָּלִי perversum: Job. 5. 11. consilium נִפְתָּלִים perversorum versutorum, callidorum præcipitatur: Psal. 18. 27. cum perverso pervertaris.

XVII. Cum

XVII. Cùm autem hïc nomen Dei addatur, non potest in ma-
lam partem de fraude, astutoq; Rachelis instituto exponi, sed
illud Rachel indicat, Deum istius permutationis autorem esse,
quã factum sit, ut ipsa sterilis ex ancilla liberos susciperet, eãque
permutatione, inquit, sorori jam adæquata sum, ut non minus,
quã illa, mater appeller.

XVIII. Nec opus hic est illa communi Grammaticorum sen-
tentia, quã luctationes Dei pro maximis seu amplissimis expo-
nunt, sicut montes Dei, Psal. 36. 7. cedri Dei, &c. nuncupantur.

Questio quinta, de Dudaim.

XIX. Isascharis conceptio puerilem & ludicram occasionem
habuit, quod Ruben puer octo aut novem annorum in campum
egressus Dudaim reperit, matriq; Leã attulit, quibus illa viri co-
habitationem à sorore Rachele mercata est, eaq; nocte Isacharẽ
concepit, vers. 14. 15. 16. 17.

XX. Quid Dudaim sint nemo hætenus exponere potuit. *Dudaim.*
Septuaginta sanè interpretes eam vocem reddiderunt per man-
dragoras, quas Chaldæi, Onkelus, & Hierosolymitani Thargum
autor Iabroach & Iabrochin (pluraliter,) itemq; Arabes nuncu-
pant. De earum somnifera vi Plin. lib. 25. cap. 13. quæpræstigia-
toribus & maleficis notissima est. Sicut Iudaïs incantatoribus si-
mili artificio quæsitæ fuit radix baaras à Iosepho lib. 7. belli Iu-
daici capit. 25. descripta, nec non alia, cuius indagationem
Salomoni assignant, in fugandis dæmonibus adhibita, libro 8.
antiquit cap. 2.

*Mandragora.
Baaras radix.*

XXI. Nomen ipsam Dudaim ab amore deductum est, & Ra-
chel profecto avidè, quicquid id fuerit, appetit: ut consentane-
um sit, fruticem aut fructum, vel etiam herbam fuisse amabilem
ob suavitatem sive gustus, sive odoris, aut etiam coloris, vel
virtutis.

XXII. Non legitur alibi ea vox, quã Cant. 7. v. ult. Du-
daim dederunt odorem suum; ubi pleriq; lilia intelligunt. Quam-
obrem potius est cautam ignorantiam confiteri, quã fallam sci-
entiam profiteri, ut ait August. ep. 78.

Questio sexta, de tempore nati Iosephi.

D 2 XXIII. Circa

Jacob quando
natus.

XXIII. Circa Iosephi nativitatem $\chi\rho\nu\nu\lambda\omicron\gamma\iota\kappa\omicron\nu$ oritur $\zeta\eta\tau\eta\mu\epsilon$
hanc ob causam, quæ breviter commemoranda est.

XXIV. Moses scribit ver. 25. Iacobum, nato Iosepho, cum
Labano de mercede pecorum in alios sex annos pactum esse: ex
quo apparet, Iosephum ultimo anno serviti, quo Patriarcha
uxores acquisivit, è Rachele susceptum fuisse.

XXV. Porro è superioris capituli ver. 20 21. clarum est, Iaco-
bū primo septēnio calibem servivisse, pro obtinenda Rachel, eoq;
finito Leam ipsū, astutia Labanis, fuisse, pro Rachele, adductam,
finitoq; nuptiarum septēdio, quod Simsonis quoque historia
Iud: 14. 15. 17. usitatum fuisse testatur, Rachelem traditam.

XXVI. De septem istis annis primos quatuor sibi vendicantē
natales quatuor filiorum Leah, Rubenis, Simeonis, Levi, Iudæ:
postremo editus est Iosephus.

XXVII. Cū autem nulla ratione fieri queat, ut septem ex-
teriorum, Dani, Nephthali, Gadi, Afferis, Isascharis, Zebulonis,
Dinæ natales biennio concludantur.

$\pi\rho\delta\lambda\omega\beta\iota\epsilon$ seu
 $\psi\sigma\epsilon\gamma\omicron\nu$ $\pi\rho\delta\tau\epsilon$ -
 $\gamma\omicron\nu$.

XXVIII. E duobus alterum erit statuendum, ut vel dica-
mus cum Dn. D. Luthero $\psi\sigma\epsilon\gamma\omicron\nu$ $\pi\rho\delta\tau\epsilon\gamma\omicron\nu$ à Mose esse usurpatum,
& Iosephi nativitatem ultimo loco positam, cum statim post
Nephthali ortum collocanda fuisset.

XXIX. Cui tamen sententiæ obstare videtur, quod Gen:
37. 3. dicitur, Iosephum Iacobo in senectute natum, ideoq; cæte-
ris, utpote natu majoribus, chariorem fuisse.

XXX. Vel certè illud concludendum fuerit, inter natales il-
lorum non integros intercessisse annos, sed uno eodemq;
anno è diversis uxoribus plures
fuisse editos.

FINIS.

AB

52

9
549

ULB Halle 3
003 140 237




sb.

Wort







1x

TIO BIBLICA XXIV.

puis quæstionibus E

o capit. Geneleos, ad priva-
m συζητησιμ proposita

à

NE GESNERO, S. S.

Æ DOCTORE ET PRO

publico, in Academia

Vitebergensi.

De qua

Anno 1599. Deo auxiliante respondebit

MAS VVEGELINVS

Augustanus.



VITEBERGAE,

atur Typis Meissnerianis,

M. D. XCIX.

